

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Salus d cum fonte primo

Tria sunt que ab inicio et ante aduentum Christi et post ad salutem obtinendam necessaria fuerunt, scilicet fides et sacramenta fidei et opera bona. Que tria ita coherent ut salutis effectum habere non possint, si simul non fuerint,

quia nec fides meritum habet, si dum potest operari negligitur, nec opus bonum est aliquod, si sine fide fit. Et rursus fides operans hominem sanctificare non sufficit, si eam que in sacramentis Dei constat sanctificationem concipere contemnit.

Hugo de sacramentis libro I. parte X.

Tria sane sunt quae ab initio sive ante adventum Christi, sive post ad salutem obtinendam necessaria fuerunt, id est fides, sacramenta fidei, et opera bona. Quae tria ita cohaerent ut salutis effectum habere non possint si simul non fuerint.

*Fides enim sine operibus, teste Scriptura, mortua est (Jacob. II).* Rursum ubi non est fides, opus bonum esse non potest. Item qui fidem operantem habent, si sacramenta Dei suscipere renuunt, salvari non possunt, quia dilectionem Dei non habent cuius praecepta in sacramentis ejus contemnunt.

Verumtamen ubi fides cum dilectione est, sicut non minuitur meritum etiam si opus quod in bono proposito devotionis est exterius non perficitur, sic salutis effectus non impeditur etiam si sacramentum quod in vera voluntate et desiderio est, articulo necessitatis excluditur. Ubi autem tria simul haberi possunt, sine periculo salutis nullatenus abesse possunt,

quia nec fides meritum habet si dum potest operari negligit, nec opus bonum est aliquod si sine fide fit.  
Et rursum fides operans hominem sanctificare non sufficit, si eam quae in sacramentis Dei constat sanctificationem suscipere contemnit.

Hugo de sancto Victore, *De sacramentis Christiane fidei*, 1, 9, 8 (PL 176, col.328A-B).